

DE SS. ECCLESIAE PATRUM LECTIO^NE

ORATIO,

QUAM

IN SOLEMNI

CENTRALIS DIVI CŒCILII SEMINARII

STUDIORUM APERTURA

HABUIT

Dr. D. Emanuel Maria Caro,


JURIS CANONICI PROFESSOR.

Ilma. Dno. Gubemator Exco. S. P. Presidente.


ANN. 1873.

De istius licentia et mandato.

GRANATÆ.



TYPIS DOMINI HIERONYMI ALONSO.





Ille. Domine:

Inter diversa, eaque magni ponderis argumenta, quæ sive ex theologicis, sive ex philosophicis disciplinis, recurrente hac solemnitate, tractanda eligi possunt, non ultimum certè annumerandum, quod circa SS. Patrum vitas et scripta versatur. Et cum nondum de eo, aliis priùs curam poscentibus, in nostro Seminario sit dissertum, nunc jam videtur mihi ultra non prætereundum.

Illi enim doctrina, antiquitate et sanctimonia in asservandis, ac vindicandis Ecclesiae dogmatibus fulgent; illi ex Ecclesia primum «generati filii ut discerent, ejus postea Patres facti sunt ut docerent» (1); in eorum libris «thesaurus inexhaustus veritatis animum allicit, (atque) omnes disciplinæ theologicæ lumen acquirunt» (2): nec theologicæ tantum, sed et philosophicæ veritates, cæteraque in quibus res humana vel modicè agitur, asserta, ac elucidata inveniuntur; illi demum pii, prudentes, humiles, pudici, sobriam sine labore agitantes vitam, insignia virtutis, atque sapientiæ exempla posteris imitanda reliquerunt.


Non me latet hujus scientiæ præstantiam neminem ignorare, qui Theologiam vel à limine salutaverit. Cum tamen non desint, qui paucis contenti, sin minus verbis, facto verò illi valedicant, utilitatem de qua loquimur, SS. Patres, solummodo prout testes sunt Tra-

ditionis, afferre censentes, nobis hodie eam sub omni respectu, quantum præsens exercitatio patitur, vestros oculos ponere est in votis. Quod si inde, juvenes, vestri animi ad antiquitatis christianæ studium magis, magisque allicantur, hujus laboris pretium persolutum remanebit.

Loquemur ergo de utilitate atque præstantia studii SS. Patrum, alias difficiliores quæstiones doctrinibus solvendas relinquentes.

Quis tamen ego sum, ut onus adimpleam, meas tenues vires, tardumque ingenium prorsus exsuperans? Candidè fateor, Illme. Domine, quod cùm, et pugnis foris, timoribus intus commotus, hunc diem ad futurum considerarem, in quo me verba facere necesse erat, adstantibus Vobis, et dignissimis moderatoribus, eorum quibus puer ego sum, et nescio loqui: parum abfuit quin, animum despondens, ab hoc honoris penso declinarem. Quia vero munus detrectandi non erat facultas, manus operi admovi, sperans vos mihi ætate ac doctrina novissimo in his angustiis indulgentiam non denegatueros.

Qua spe fatus, Deo adjuvante, dicere aggredior.



Ea est tractandæ materiæ amplitudo, ut non tam rerum copia, quam modus in dicendo quærendus sit. SS. enim Patrum scripta tredecim priorum sæculorum litteraturam complectuntur; historiam autem litterariam alicujus populi vel societatis edisserere, idem ferre est, ut cuncti sciunt, ac illius populi historiam narrare, cum totius ejus vitæ speculum illa sit.

Ut igitur aliqua hac in re figatur methodus, de SS. Patrum historia et scriptis seorsim agemus. Quoniam autem eorum opera diffusam materiam continent, quid utilitatis illi afferant videndum, sive in eis theologicas, sive philosophicas, sive litterarias rationes spectemus. Illa namque utilitate semel stabilita, et eorum inscitia, qui levi animo hanc disciplinam parvi-

pendunt, et inimicorum Ecclesiæ perfidia, qui, Traditionis osores, eam ab hominum memoria deletam vellent, simul apparebunt.

In propositi autem elucidatione, potius exponendo, quam disputando procedam.

I.

Mirari fortè quis poterit nos hic de utilitate agere, cùm in theologicis, non tam utilitas, quam necessitas ad SS. Patrum studium nos impellat. Haud enim dubium eos, et testes esse Traditionis divinitus revelatae, semperque hoc sensu ab Ecclesia adhibitos, cuius synodi Spiritu Sancto adjutae, Patrum vestigiis insistentes, suas de fide, ac moribus definitiones edidere. Ea tamen difficultate non movebitur, cui notum sit propositum nobis hue non esse de illo publico usu, et auctoritate SS. Patrum, de quo ad Theologiae generalis tractatores propriè pertinet, loqui; sed tantum, ut jam initio adnotavimus, de emolumento, quod quisque privatus ex eorum lectione capere valet. Hoc autem ingens in theologicis esse, facile est evincere, sive agatur de Apologetica, Polemica aut Speculativa, tam in dogmaticis, quam moralibus,exegeticis aut reliquis Theologiae partibus, quæ cum istis intimè connectuntur.

Et quod attinet ad dogmaticam, illud in primis adnotandum, SS. Patrum lectione animos in fidei veritatis confirmari. Haud namque eorum scripta evolvi possunt, quin pergratum gustetur solatium, cum meridiana luce clariùs appareat eamdem, quam nos hodie profitemur fidem, eos, vel antiquissimos, et Apostolorum ævo vicinos, eodem sensu, et iisdem aut ferè iisdem verbis docuisse; ita ut dogmata principaliora, ab omnibus, quotquot extitere, de quorum integritate dubitare non licet, asserta et custodita inveniantur. Brevitatis gratia, unum tantum assumam exemplum: à di-vo Clemente, omnium perantiquo, usque ad S. Athanasium, prout sapientissimus Ad. Moehler ostendit, ex

omnibus scriptoribus, quorum opera ad nos usque pervenerunt, testimonia referri possunt pro Verbi Æterni divinitate, quam postea Arius erat negaturus impia voce, cui Straussius, Renan, aliquique nostris hisce diebus aurem benignam præbuerunt.

Veritates, quæ nunc magis in controversiam vocantur, ab illis prædicari certum est. De Sacramentis scilicet, præter multas sententias, hue, illueque sparsas, peculiares adsunt tractatus de Eucharistia, Baptismo, Confirmatione et Poenitentia. Hue spectant Augustini libri de Baptismate, Paciani Barcinonensis epistolæ et tractatus, Ambrosii libri de Mysteriis, Cyrilli Hierosolymitani Mystagogicæ Catecheses. In ipsius Cyrilli catechesibus totum symbolum accuratè exponitur, sicut in Augustini, Rufini, Epiphanii, aliorumque scripturis. Et illud notatu dignum, ex paucissimis, quæ apostolici ævi remanserunt scriptis, probationes adduci posse pro hierarchica Ecclesiæ Catholicæ unitate, S. Scripturæ Canone, et Romanæ Ecclesiæ Primatu. S. Ignatius ad Smyrnenses et Ephesios de reali Christi in Eucharistia præsentia, et in sua ad Polycarpum epistola de Matrimonio loquitur, tamquam de Sacramento inter christianos.
¶ Oh! si acatholici ad traditionem semotis præjudiciis accederent, oxoniensis scholæ impulsus multos haberet imitatores. Perscrutari cùm nequeant antiquitatis monimenta, quin animus commoveatur, inspiciens non solitaria testimonia, sed libros integros, quotquot ab eis sunt scripti, eamdem continere doctrinam, quam nunc ab Ecclesia edocemur. «Eorum quippe, nec temporum diversitas, nec linguarum varietas læsit concordiam, sed similes lyræ fuerunt, quæ multas quidem et diversas habet chordas, unum autem sonorum concentum emitit.» (3)

Præterea, tot ac tantæ sunt rationes, quibus principiora dogmata à SS. Patribus fuerunt pertractata', tot ac tantæ omni ex parte illustratæ quæstiones, ut si quis velit illa accuratè cognoscere, eos adeat planè opus est. Et hoc aliud commodum, quod ex eorum lectione derivatur, scilicet: ut *dogmata, præsertim quæ fundamentum salutis humanæ constituunt, clare et per-*

spicue intelligantur. Æibi namque melius doctrinam de Sanctissimæ Trinitatis mysterio expositam inveniemus, quam in Athanasii, Hilarii Pictaviensis, Basili et utriusque Gregorii disputationibus? Ubinam majori ingenii acumine adorandum Incarnationis mysterium illustratum ac vindicatum, quam in Athanasii, Cyrilli Alexandrini et Leonis Magni operibus? Quis unquam de Providentia disputationavit, ut Chrysostomus? Quis de gratia et libero arbitrio, de peccato originali et prædestinatione tam acutè disseruit, ut Augustinus et Prosper disseruerunt? Quis pulchrior et magis absolutus, quam Athenagoræ de resurrectione liber?

Omnia argumenta et rationes, quibus dogmata Fidei probantur, in SS. Patrum scriptis solidè exposta reperiuntur. Etenim cùm illi ferè omnes mentis acie excellerent, multosque suae vitæ annos in meditandis, ac rectè intelligendis Sacris Scripturis consumpsissent; cùm in Ecclesiæ et majorum traditionibus investigandis plurimum insudassent, nec dialecticæ artis subsidia illis deficerent, firmissimas rationes in doctrinæ catholicæ defensionem luculenter afferunt. Non enim absque speciali divinæ Providentiæ consilio accidit, ut hæresis cujuscumque ortu, statim in Ecclesia præclari viri surgant, doctrina et sanctitate conspicui, qui illius furoris atque iracundiæ fluctibus obicem opponant. Sectæ namque cùm in earum exordio omnes suas vires exerant, cunctisque artificiis, quæ dolus et perfidia suggerere possunt, ad animarum perniciem utantur; Ecclesia pro hominum salute numquam non evigilans, afflictionis tempore totam ejus virtutem explicat, in aciemque mittit fortissimos viros invincibili Dei potentia, et profundiori dogmatis christiani cognitione loratos. Ita videmus eam gnosticis opponere Irenæum, arianis Athanasium, Cyrillum nestorianis. Ita seditiones novatianorum machinationes Cyprianum adversarium hauerunt, sicut donatistarum alium insigniorem, Augustinum (4).

Neque tantum positiva argumenta, sed et rationes quibus contraria firmiter refelli possint, quæ compendiaria via incedenda, ut facilius errores detegantur, et

modi, quibus hæreses suis colubrosis semitis feliciori exitu sint insectandæ, à Patribus suppeditantur; ut potest qui suo ævo doctrinæ christianæ veritates præcipuas, hæreticorum dolo et perfidia obnitentibus, defendere sunt coacti. Mirabilis planè est Athanasii dexteritas in difficultatibus solvendis, quas ariani ei objiciebant, et iterum mirandum Augustini ingenium in suis contra Julianum disputationibus. Jam verò, cum fere omnia rationis deliramenta, quæ tunc contra sanam doctrinam per ora volitabant, hodie in scriptis, et libellis passim serpent, apertè patet, quanti Patrum lueubrations sint faciendæ.

Nec dicat aliquis ad hoc satis esse theologo, quin Patres adeat, recentiorum opera in promptu habere, quæ testimonia continent ex illis excerpta, et certo ordine redacta. Esto, quod locorum, in quibus testes agunt Traditionis, haberí debeat notitia; tamen SS. Patrum studio, minimè hic sistere, sed ultra progrederi necesse est, non solum ut defensionem doctrinæ revelatae, prout eam SS. Patres adversus hæreses instituerunt, clarè perspiciat, verum etiam ut ipsam Traditionem omni ex parte tueatur; cum hæretici, quamvis Traditionem rejiciant, eam tamen labefactare omni prorsus modo non desinant, nec dedignentur ad illam confugere, ubi sibi videtur vel minimum suffragari. Ad hoc autem tam auriphodinæ, quam Patristicæ tractatus parum inserviunt. Imo, ni fallor, de theologicis operibus idem dicendum; saltem quia difficultates, quæ in illis diluntur, ea ratione sunt dispositæ, ut memoria custodire sit per difficile. Itaque ad has molestias vitandas, ipsorum Patrum opera evolvenda esse liquido apparet. Quod etiam exigere videntur ea, quæ nunc incidimus tempora: quæ si quis cum primis Ecclesiæ sæculis conferat, contentus abs dubio non erit nudis dogmatis expositiōnibus.

Et re quidem vera: Rationalismus et Naturalismus, seu potius Neo-paganismus, cuncta invadentes, prisco-rum incedulorum errores tamquam novos, iterum in discussionem invexerunt, ut universas Religionis veritates funditus impetant. Inde sequitur Apologeticam, et

generalem Polemicam quadam in præsentiarum amplitudine tractandi necessitas. Quæ duæ Theologiae partes à primævis scriptoribus summa cura et diligentia fuerunt exultæ. Varia enim adsunt utriusque generis opera, quæ, vel propter sermonis elegantiam ac venustatem, vel propter profunditatem aut pulchritudinis sensum, animum perpetuò alliciunt, et ædificant.

In generali adversus hæreses polemica annumeranda in primis veniunt Sti. Ignatii Antiocheni epistolæ, Tertulliani tractatus de præscriptionibus, Cypriani de unitate Ecclesiae pulcherrimus liber, Augustini atque Optati opera adversus donatistas, quin taceamus aureum S. Vincentii Lirinensis contra hæreses Commonitorium.

Inter ea verò singularem meretur laudem Sti. Irenæi adversus gnosticos opus, cuius versio latina ætatem tulit. In eo antiquitatis monumento splendido, S. Pater, postquam gnosticorum præcipios errores patefecit, Valentianos directè impugnat, creationis dogma in tuto ponens, refellitque eorum commenta, pantheistarum et aliorum neotericorum placitis valde similia, ut pote eamdem originem reclamantia: negat item Christum et Apostolos ad falsas auditorum opiniones sese accommodasse. Ea verò quæ de primatu Ecclesiae Romanæ, de justificatione et Eucharistia ille profert, referre omitto. Scire sit satis, in eo opere, aliqui si excipientur nævi, nec ipsum titulum prætermitendum: *detectio namque et eversio falso cognominatae agnitionis* inscribitur, et meritò: nam illi hæretici, in tenebris perambulantes, se solos gnosticos et spirituales esse jactitabant, non secus ac nostri ævi pantheistæ, mythici, aliisque ejusdem furfuris homines, elati quaque incedunt, sapientes se esse dicentes, quin alias habeant facultates nisi temeritatem, et stultitiam.

Quod si de Apologetica sermo sit, praeter ea, quæ ab edaci tempore assumpta, nunc desiderantur, plura adhuc supersunt magni momenti opera, ex quibus præsertim memoratu sunt digna, celeberrima ad Diognetum epistola, S. Justini Apologia major, quæ est etiam fere omnium Christianismi dogmatum expositio: item ejusdem S. Justini dialogus cum Triphone iudeo, Athenae-

goræ Legatio pro Christianis, Tertulliani Apologeticus, Arnobii, Lactantii et Minucii Felicis apologiæ. Eusebii libri de præparatione evangelica, et Origenis opus contra Celsum, in quo videre est non solum incedulos, sed et neotericos pseudo-politicos in antecessum refutatos. Liceat mihi de hujus operis argumento aliquid delibare, quod propositi veritatem confirmet. In eo Origenes argutias dissolvit, quibus Celsus probare intendebat Christianismum tamquam doctrinam, et statui periculosum, et legibus esse contrarium; à barbaris luctis adversariis ingeneratum, nonnisi in umbra sectatores acquirere, utpote qui ab eis et cæcam, et inconditionatam fidem exigat; assimilari rectè illum posse græcorum atque ægyptiorum mythologiis, neque aliquid in se habere, quod philosophiæ Platonis præferri debeat; ipsumque, propter ejus ad tumultus propensionem prorsus rejiciendum, cùm et Reipublicæ ex adverso constituatur, et legibus superstare conetur. Omnes religiones, prosequitur Celsus, æqualiter bonæ cùm sint, sese mutuò tolerare debere, Christianismo excepto, in ejus intolerantiae pœnam. Denique Origenes eorum suppludit calumniam, qui christianos insimulabant defectus amoris patrii. En igitur, qui sint nostrorum incredulorum parentes, quos ipsi, licet inviti, agnoscere tenentur. En, quò tendat tam decantata civilitas, liberalismus atque progressus nostræ ætatis.
Decem et octo sæculis retro ire!

Et quod de philosophicis dictum, idem de cæteris dicite erroribus, qui ex scientiis naturalibus deducti hoc tempore pullulant, circa hominis præsertim originem: quos omnes, aut ferè omnes jam ultra confutatos habetis ab Eusebio, Lactantio aliisque qui Anaximandrum, Empedoclem, Demoeritum et Epicurum impugnarunt. *Nihil sub sole novum*: et increduli, veluti aquariæ rotæ, idem semper lutum effundentes.

Quid plura? Et societas quibus congregantur, atque ipsæ incredulorum antiquorum, et recentiorum personæ sese mutuò respondere, ex prisorum scriptis liquidò apparet. Atque, ut omittam quæ de manicheorum ritibus et moribus, moribus et ritibus societatum occul-

tarum carboniariorum aliorumque fratrum..... fere æqualibus, illi narrant; vultis in antiquis retrò temporibus indifferentis typum videre? Favete: adest senex marcionita Apelles nomine, qui cum Rhodone discep-tans, suisque ratioceptionibus obrutus, è prælio recedit. asseverans, fidei quæstiones non esse tam religiosè pensitandas, cuique obligationem adesse in ea religio-ne manendi, quam est edoctus: cùm postremò omnes, quidquid credant, salvandi sint, modò in Christum spe-rent, et bonis operibus exerceantur. Cæterùm rem ob-seurissimam vocat de Deo quæstionem, quem tamen unum esse principium dicebat. Rogatus autem à Rho-done, qui ad hanc amplectendam sententiam esset duc-tus, respondit: se de hoc nihil scire; attamen ita cre-dere. *Feliciter!* (5)

Et hæc est vis et auctoritas quæ in scriptis secundi et tertii sæculi primo ictu appareat. Postea vero Pa-ganismum, lethali jam accepto vulnere, frustra Julianus et gladio, et calamo instaurare tentabit. Frustra idololatræ Christianismo imputabunt damna et calamiti-tates, quibus, ita Deo disponente, in suorum flagiti-orum expiationem, affligebatur imperium. Cyrillus Ale-xandrinus prioris objectiones diluet, et posteriorum convicia ab hispano Orosio, ac præcipue à divo Augu-stino in ejus de *Civitate Dei* admirando opere meritam accipient responsonem.

Poteram, Illme. Domine, istiusmodi eloquio per-severare; sed ne oratio plus æquo vagari videatur. jam ad propositum redeo. Et quid Patres juvent ad dogmata nondum ab Ecclesia ex ulla parte decisa ri-te exquirenda, cæterasque hujusmodi utilitates missas faciens, ut huic primæ quæstioni finem imponam, id so-lùm indicabo: nempe illos, et historiæ ipsi, seu sci-entia, seu Ecclesiæ conscribendæ non parum inservire.

Qua enim ratione historiographus, quin Patres con-sulat, progressus, conflictus, ac diversas phases, quas Theologia unà cum Philosophia diversis temporibus subiit, accuratè enarrabit, cum ab eis præsertim longo sæculorum spatio ambæ illæ scientiæ fuerint excultæ? Quomodo de eventibus, qui in illorum ætate accide-

runt, absolutum proferet judicium? Ad antiquitatis ergo cognitionem habendam, ejus monumenta diligenter perserutari oportet, nisi velimus in plano cespitare. Et hoc, quamvis in juniorum libris Patrum testimonia, veluti historiæ materies, sint contenta. »Nec disjecti lapides, nec sparsa rudera ædificii magnificentiam monstrare valent.«

II.

Non minor est fructus, qui pro Theologia morali ex priscorum lectione provenit, cum et ipsa in Traditione inniti debeat. Nam sicut praxis theoriam, Charitas Fidem, actio ideam, ita Theologia moralis dogmaticam supponit. Si ergo dogmatica in Traditione præcipuum fundamentum habet; et moralem pariter habere necesse est. Ad studium igitur Theologiae moralis, ut decet, instituendum, sedulò investiganda Traditio, et SS. Patres illius præstantissimum medium in primis sunt consulendi.

Jam vero, eos in rebus moralibus affluentem expeditare venam, quis ignorat? Cum scilicet ad fidei jacturam nulla potius via, quam morum depravatio sit expeditior, SS. Patres, Christi exemplum imitantes, eorum reformationem perpetuò urgebant. Inde factum est, ut omnia illorum opera salutaribus bene operandi sententiis sint illustrata: et pauci sunt, ex quibus ostendi nequeat aliquis saltem liber, qui consultò de morali tractet.

Nec virtus, quam non commendarent, nec vitium, cui non adversarentur, aliquod remansit: efficacissima item motiva ad hoc fugiendum, illamque excolendam suggerentes. Quidam sermones primò ad populum habitos, in libros postea redigebant. Alii paganam inter et christianam morum doctrinam, tum apertè, cum simulatè comparationem instituerunt, velut illam falsitatis arguerent, seu ut hanc summa cum eloquentia exponerent, ac vindicarent, sicut Ambrosius, Methodius,

Lactantius, aliique fecerunt; alii S. Scripturæ libros integros suis homiliis aut interpretationibus explicabant, facta perpetuò moribus applicatione. Magni habendi sunt libri de Patientia à Tertulliano et Cypriano exarati, Ambrosii tractatus de Virginitate, et ejusdem libri de *officiis ministrorum*, in quibus Ciceronis libros de *officiis* apertè sequitur, *ut in eo, qui præ cœteris honestatis exactæ leges profitebatur, falsa præcepta ethices paganæ fortius confutaret*, simulque ostenderet doctrinæ christianæ excellentiam atque præstantiam (6). His accensendi veniunt Cypriani liber III testimoniorum, Augustini Speculum, moralia S. Gregorii Magni, libri integri, quos de morali scripserunt Gregorius Nyssenus, Nilus, Climacus et Joannes Chrysostomus, in quo solo omnem Theologiam morum licet invenire: insuper epistolæ morales Augustini, Hieronymi, Isidori Pelusiotæ et aliorum.

Et hic animadvertisendum Patrum lectioni in rebus moralibus nemini vel rudiori aditus intercludi. Alia illorum scripta difficultatibus obnoxia esse poterunt; minimè verò ea, utpote apertissima, et omnium captui respective accommodata.

Age verò, quid lucri afferant SS. Patres, ut in Sacris Litteris ea, quæ sunt præcepti, ab iis, quæ consilii tantum, apprimè distinguantur, atque ut abstrusiores quæstiones perspicuè solvantur, ubi de stabiliendis bene operandi principiis agitur; ne oratio ultra protrahatur, dicere omittam. Id tantum in præsens innuere sufficiat: legenti SS. Patres statim patefieri, quantum audaciæ præ se ferant quidam socialismi et communismi fautores, qui suis placitis accommodare nituntur Patrum sententias, ab ipsis longè diverso sensu prolatas, cùm fideles ad evangelica consilia invitarent.

Sed jam ad Theologiam Pastoralem et Disciplinam Ecclesiasticam gradum faciamus.

Ad primam quod spectat, illis boni pastoris exemplaribus, ut erant SS. Patres, sacerdotis animus excitabitur ad exercendum ecclesiasticum ministerium per hujus temporis difficultates, atque in eorum libris christiani institutores jugem cœlestis doctrinæ thesaurum in-

venient, unde aptissimas ad suas catecheses lectiones depromant: cùm illa Ecclesiæ sydera eò suis laboribus semper tenderent, ut fideles rectè instructi suis officiis retinerentur. In eorum homiliis perspicitur, qua ratione abstrusæ quædam veritates ad populi captum aptari queant, quibus rationum momentis defendantur, quomodo fideles inter sæculi procellas ad æternæ salutis portum dirigi valeant. In exemplis à Patribus prolatis, cùm rudibus doctrinam exponerent; ex regulis, quas recenter ordinatis tradebant, ut eis ad regimen animarum uterentur; ex consiliis, quæ ilii dabant in casibus difficilioribus; et denique ex ipsa eorum in disputacionibus mansuetudine et prudentia vivendi normam, et munus suum rite fungendi quisque poterit expiscari.

Et si de disciplina agitur, meritò inter Juris Canonici fontes SS. Patres recensentur. Ex eis namque quæ viguerit diversis temporibus disciplina intelligitur. Vix in antiquis collectionibus canon includitur, qui vel ab eis exaratus, seu ex eis dessumptus non fuerit. In apoloysiis, in Episcoporum, ac præsertim Romanorum Pontificum epistolis, in Episcoporum Alexandriae epistolis paschalibus, in litteris Cypriani, Basilii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, et Cyrilii Alexandrini, atque in liturgiis, quæ alicujus S. Patris nomen præ se ferunt, multa habet scitu digna Juris Ecclesiastici studiosus.

Denique, et in Theologia mystica et ascetica, vera Theologia cordis, quæ *affectus nostros movet, ac in Deum dirigit*, uberrimus est fructus, qui ex SS. Patrum scripturis à privatis obtineri potest. Scientia quippe, quæ dicitur Sanctorum, ubinam melius exquirenda, quam in scriptis et regulis ab iis traditis, qui sanctitate insignes, et à peritissimis edocti magistris, magnos in virtute profectus fecerunt, et profundissimam humani cordis habuerunt cognitionem. Persæpe varia media via debellandi, peccata vitandi, atque ad altiorem sanctitatis gradum perveniendi suggesterunt. Hæc omnia, hinc inde aspersa eorum epistolæ; hæc tractatus de virtutibus et vitiis, libri de oratione, regulæ à divo Basilio et aliis exaratae continent; hæc itidem tot epistolæ, et collationes monachorum illius ævi; tot vitæ Patrum et

SS. monachorum ab aliis Patribus et monachis concinna-tæ, quas inter digna in primis recordationis, illa sancti Antonii à divo Athanasio conscripta, in qua vitæ monasticæ exemplar apprimè depingitur, et præclara monita ad hominis christiani institutionem suppeditantur. Nec desunt opera, quæ propriam sacerdotis sanctificationem inmediatè pro objecto habent: sicut Chrysostomi de Sacerdotio, Sti. Bernardi de Consideratione libri Sti. Gregorii magni insignis Regula Pastoralis.

Ita SS. Patres, per viam perfectionis gradientes, quæ fuerit eorum vita interior, et dictis et factis ostenderunt. Omnes, quotquot de spiritualibus rebus postea tractarunt, ab eis sua monita et præcepta hausisse constat.

His de SS. Patrum in moralibus utilitate dictis, quid pro Exegesi valeant videamus.

III.

Haud dubium lucubrations circa SS. Patrum scripta in eis, quæ ad S. Scripturæ interpretationem spectant, ab eruditis teologis factas, tales esse, ut vix aliqua sit Patrum sententia, quæ in illis expressa atque explanata non reperiatur. Deploranda tamen deceptio illius, qui his laboribus contentus illorum oblivisceretur. Singularem enim interpretationis possident clavem, nec regulis nec præceptis definiendam; quippe cùm ea non alia fuerit, quām ipse spiritus illorum animos accendens, qui Christum in corde, et in ore habentes, imaginem purissimi animi suis scriptis imprimebant (7).

Eruditi fere omnes humanioribus litteris, magno ingenio præditi, oratione assidui, et humili animo ad S. Scripturæ studium accedentes; quæ illi ex ea concipiabant, vel à majoribus acceperant, fideliter tradiderunt. Insuper illorum aliqui in solitudinem recepti, Sacrarum Litterarum studio toto animo dediti, in quarum meditatione longum annorum spatium impendebant, nihil ferme ex eis remansit, quod non aliquo modo inve-

stigarint. Ideo affirmari potuit eorum in divinos Libros lucubrationes *præstantissimum exhibere commentarium* (8).

Ex eis, qui saeculo quarto et sequentibus, in libris saeculis enucleandis insudarunt, alii sunt qui sensum litteralem maximè excoluerunt, ut ex græcis Basilius, Hieronymus inter latinos; alii sensum moralem, ut Augustinus, Gregorius Magnus, et Chrysostomus; alii allegoricum uti Gregorius Nysenus, Cyrillus Alexandrinus et Augustinus. Alii libros A. Federis, alii Novi, alii unum, alii plures, vel fere omnes uno altero sensu sunt interpretati. Has verò lucubrationes vel commentarii forma, vel scholis aut homiliis ediderunt; quin de-sint opera, quæ veluti introductionis loco ad totius S. Scripturæ vel alicujus singillatim libri studium inservire possunt. Quorum omnium catalogum intexere nimis prolixum foret et ab hujus laboris indole prorsus alienum.

Hoc tamen notatu dignum, SS. Patres, licet in morali vel allegorico sensu enucleando præcipue insisterent, litteralem non neglexisse, quem summa cura adhibebant in scriptis polemicis, ubi cum hæreticis erat quæstio, sicut fecisse videmus Cyrrillum Alexandrinum.

Allegorias tamen prosequentes, nihil, quod à S. Scriptura alienum esset, faciebant, illud persuasum habentes, quod «si hoc tantum velimus intelligere, uti ait Cæsarius Arelatensis (9), quod sonat in littera, aut exiguum aut nullam fere adificationem de divinis lectinibus capiemus.» Ideo excusari nequeunt, qui litteralem sensum in deliciis tantum habentes, allegoricum absolute despiciunt, Patribusque hac de causa succensent. Nec prætereundum, quod cùm nec lingua græca, qua libri multi fuerunt scripti, difficultatem tunc temporis præberet; cùm recentes adhuc essent qui narrabantur actus, nec de eis lites adhuc suscitatae fuissent: interpretatio litteralis tam necessaria non erat, ut postea de cursu temporis devenit. Hæc, quæ notavimus, motiva etiam sunt, cur ante saeculum tertium commentaria in libros sacros propriè dicta non inveniantur.

Cæterum, et in ipsis allegoriciis interpretationibus, permagna est utilitas, quæ à theologo et concionatore

sacro obtineri potest. Ille aliquoties inveniet altissimas speculationes circa res dogmaticas, quas, ubi eas SS. Patres ex professo tractant, frustra quæreret. Posterior veritates Fidei Christianæ variis ex partibus illustratas reperiet, per verba, sententias et similitudines ex S. Libris desumptas, ad persuadendum satis concinnas, ubi plebi fidi verbū Dei explicatur (10).

Usui itaque practico maximè inserviet expositio moralis et allegorica à Patribus facta: ea enim nihil aptius ad sublimiores S. Scripturæ veritates perspicuè exponendas, moresque ritè informandos. ; Atque utinam illi, qui tamquam luminaria divinitus in Ecclesia sunt constituti, ut verbum Dei scriptum vel traditum copiosius explicarent, ab oratoribus sacris assiduè peregerentur ! Utinam ex eorum manibus nunquam deciderent Chrysostomi, Basilii, Augustini, Gregorii, Leonis, Bernardi aliorumque exemplaria! Utilius certè impenderetur tempus, quam si concionatores pervolvantur, ubi de inveniendo argumento agitur. ; Quid verò de iis judicandum, qui vel ingenii excolendi, vel perpolitæ phrasis quæritando obtentu, relictis Patribus, philosophos adeunt atque poetas, qui tam sobriè ab oratore sacro forent adhibendi? Hinc evenit, quod nec eloquentiæ varia genera distinguantur, nec quid specialius Oratoria sacra præ cæteris exigat, consideretur.

E contra SS. Patrum studio facilis brevisque concionatori sacro panditur via ad exercendum ecclesiasticum ministerium «*non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, non in profano et ambitiosæ eloquentiæ lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis.*»

Sed jam de SS. Patrum in theologicis utilitate fortasse nimis multa: ad reliqua pergamus.

IV.

Cum Philosophia sit veritatis studium, consequens erat in ea societate, quæ missionem accepit illuminandi omnem hominem, præstantissima ingenia quovis

tempore florescere, quæ illam excoolerent, nobisque viam ingrediendam sternerent, ne, dum altissimas veritates inquirimus, à recto tramite imbecilles deflecamus.

Et sanè: ipsis perantiquis Patribus Philosophiam ignotam non fuisse ex apologiis colligitur ab illis exaratis, in quibus errores gentilium philosophorum redarguunt, et illorum doctrinæ vitia demonstrant. Ita vide-re est in Arnobio, Lactantio, Hermia et Tertulliano. Nec defuerunt tunc temporis, qui in paganorum sectis educati, philosophorum sententiis, in quibus Traditionis vestigia, veluti quasdam lucis æternæ scintillas deprehendere videbantur, in obsequium veritatis apprimè uterentur. Ex iis S. Justinus, qui postquam Philosophiæ tunc vigentis scholas peragrasset, christianus effectus, quin philosophicum pallium abdicaret, Romæ scholam aperuit, ubi multis Deo et Ecclesiæ lucratis viris, rationis et fidei jam inde perpetuum fœdus martyrio sigillavit.

Quod si veteres scriptores parum de Philosophia attigisse videantur, id non Christianismi indoli, sed rerum, quibus tum versabatur, adjunctis tribuendum est: cùm in subterraneis vitam agebat, nec ejus discipuli alias nisi paganorum frequentare poterant scholas, quarum magistri, corruptionis potius quam ædificatio-nis dicendi, illi erant infensissimi. Item Religionem positivam atque divinam hominibus proponens, longè aliam ad sui diffusionem initurus erat viam ab ea, quam sectas percurrere videmus. Istæc quippe ad iter sibi aperiendum, statim ac nascuntur, in aciem descendunt discussionis, ut speculationibus et argumentis per-suadeant. E contra Ecclesia, Divini sui Fundatoris pollicitationibus innixa, auxilio humano indiga non erat; utpote quæ doctrinam prædicabat exterius per miracula et prophetias, interius verò per Spiritus Sancti con-firmatam impulsu[m], qui sentitur antequam discatur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur. Non mi-
rum proinde quod in ejus exordio pauci fuerint, qui Philosophiam excoluerunt.

Cum tamen ratio et fides, sicut natura et gratia sese mutuo non excludant, sed potius adjuvare, et amicè consociari possint ac debeant; ex quo in hac palæstra quæstiones agitari cœpere, atque tum à gentilibus, cum ab hæreticis adversus veritatem confici tela, SS. Patres litem non recusarunt. Et prius Clemens Alexandrinus ejusque scholæ sectatores, (licet non omnes feli ci successu) deinde verò divus Augustinus aliique sancti doctores, quæ rationis jura et officia essent, solidè statuentes, veræ Philosophiæ christianæ fundamenta jecere. Quæ non in alicujus specialis systematis elucidatione, neque in confusa veri et falsi permixtione consistit, sed in veritatis, ubicumque demum ea sit acceptio, ut in obsequium fidei redigatur. Cum enim fidei doctrina, humanis ingenii perficienda velut philosophicum inventum proposita non fuerit, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita fideliter custodienda, inde sequitur eam superiorem esse omni evolutioni *scientificæ*, nullique determinato systemati omnino alligari.

Ita SS. Patres unum aut alterum præferre vide mus, prout fidei christianæ melius accommodari posse existimabant. Platonem isti, illi Aristotelem sunt prose quuti. Omnes tamen partim ab uno, partim ab altero acceperunt, quod opportunius sibi visum est, verum in scientia eclecticismum statuentes. Ne tamen Fides naufragium pateretur, eam ante omnia in tuto collocabant, omnem contrariam assertionem illico ut falsam respuentes: et animo demisso ad veritatis investigationem accedebant. «Non tento, Domine, inquit S. Anselmus, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum, sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quærō intelligere ut eredam, sed credo ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero non intelligam.» (11) Sic reliqui SS. Patres, quod foret christiano philosopho in veritate investiganda optimum *criterion*, quasque ille excolere debeat virtutes, ne novitatis amore illectus in vitia cadat eorum, quos Dantes reprehendit (12), theoricè et practice docuerunt.

Eam tamen humilitatis regulam humanæ rationis incremento non adversari, vel ex eo solo deducitur, quod altissimæ veritates, quæ antea à philosophis nec cogitari quidem potuerunt, nunc in christianis scholis elucidatae et explicatae maneant.

Hinc, coarguendos judico scriptores illos qui, speciosis potius, quam veris ductis rationibus, in Philosophiæ historia Patres prætereunt.

Nunc jam ex dictis patet, quanti ex hoc capite SS. Patres sint æstimandi. Qui eos ad plenum cognoscat, isclarè perspiciet illos scientiam in hunc gradum extulisse, quod inde ei majorem ascendere sit perdifficile. Item quid mali fugiendum, quos vitandos scopolos, quamque demum viam in veritatis inquisitione tuò incedendam facile deprehendet. Juvat hie nuper laudati Anselmi verba proferre, quæ ad hanc causam spectant. «Solent quidam, ait S. Pater, cùm ceperint quasi cornua confidentis sibi scientiæ producere, nescientes quod *si quis æstimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire*, antequam habeant per soliditatem Fidei alas spirituales, præsumendo in altissimas de Fide quæstiones assurgere. Unde fit, ut dum ad illa, quæ prius fidei scalam exigunt, sicut scriptum est, *nisi credideritis, non intelligetis*, præpostorè prius per intellectum conantur ascendere, in multitudinos errores per intellectus defectum cogantur descendere. Palam namque est, quia illi non habent fidei firmatatem, qui, quoniam quod eridunt, intelligere non possunt, disputant contra ejusdem Fidei à SS. Patribus confirmatam veritatem: velut si vespertilioes et noctuæ, non nisi in nocte cœlum videntes, de meridianis Solis radiis disceptent contra aquilas, solem ipsum irreververat uisu intuentes. Prius ergo fide mundandum est cor....: et prius præceptorum Domini custodia illuminandi sunt oculi....: et prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam, quam dat *testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*.... Frustra quippe conatur dicere: *super omnes docentes me intellexi*; qui proferre non audet: *quia testimonia tua meditatio mea*

est. Et mendaciter pronuntiat: *super senes intellecti*, cui non est familiare quod sequitur: *quia mandata tua quæsivi.* (13) Ita scholastice in Occidente veluti parens. Eadem sensa nutrierunt omnes christiani philosophi à Clemente Alexandrino usque ad scholasticos et eos, qui illis successerunt. *O si nemo unquam ab hac semita descivisset!* Nec tot deplorandi errores, nec tot lugendi casus essent.

Illam ergo vos ingredimini, juvenes, hoc firmiter persuasum habentes, quod qui Patrum vestigia constanter sequatur, rationalismi et traditionalismi scopolos simul vitabit. In ea, quid fides, quid ratio expostulet, discetis: et illa tam implicata quæstio de fidei et rationis nexu nullam vobis in praxi curam injiciet.

V.

Venio nunc ad rationes litterarias, illorum in primis sententiam rejiciens, qui Christianismum insimulant de linguarum Græcæ et Latinæ corruptione, aliis certè causis tribuenda. Litteræ enim, opus humanum cùm sint, et sua habent aurea sæcula, et suas subeunt tempestates. *Et quis negare audebit ad Christianismi ortum Græcas litteras à multo tempore pristinum splendorem amisisse; et Latinas jam tune in occasum vergeare cœpisse?* Quæ, si postea perdurare quodammodo visæ sunt, Religioni Christianæ grates habeant; quæ apud eas suæ historiæ germina deponens, ipsas et suos thesauros è sæculorum naufragio eripuit, aliter abs dubio perituros, prout vidimus accidisse litterariis divitiis aliarum gentium.

Qui vero in christianismo poesim et fabulas desideret, is attentè perpendat illum, utpote factis innixum, historiæ formam ab initio in litteratura induere debuisse, ejusque gesta oratione soluta consignari.

Quibus omnibus, ad rem planè conficiendam, addi insuper debent impedimenta, quibus laborabat, quæ nuper, cùm de philosophicis agebatur, adnotavimus.

His verò non obstantibus, extant ex illis remotis sæculis quædam scripta, in quibus pulchritudinis judicium et artis præcepta apprimè servantur. *Quis Lactantii perspicuitatem et elegantiam ignorat? Quem non movent suavissimi Minucii Felicis et Cypriani opera, cuius de Mortalitate liber «multis ac penè omnibus, qui ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter est notus?»* (14) Patres enim in solitudine vel in Sanctuario enutriti antiquam civilitatem non abjurarunt: et Pontifices et Episcopi, licet acerbè vexati, ferisque objecti, nec litteris nec patriæ valedixerunt.

Quòd si non de formæ pulchritudine, sed de ipsius rei sublimitate et veritate sermo sit, affirmare non dubito Christianismi adventu plus soliditatis litteras acquisisse, quām venustatis sub exteriori aspectu amiserunt. *«Oh quām dulce, nigrum poëtarum fatum relinquere, et in Æternæ Providentiae sinu quiescere!»*

Lux, quæ venit in mundum, in litteratura christiana fulget, etsi non semper eodem potentia gradu. Christiani ingenii fetus illius lucis micantes radū à sua origine nunquam desciscunt. Persequutionum ætas transibit: et ope mirabilis illorum hominum ac propè divini ingenii aureum litteraturæ christianæ sæculum subsequetur. Hieronymus sermonis puritate facile præcellet. Sulpicius Severus ob ejus *orationis* brevitatem et elegantiam Sallustius Christianus appellabitur. Acta Martyrum, Sanctorum vitæ, aliaque quamplura nova litteris genera suppeditant. Ipsa Poësis dignos habet interpres Gregorium Naziancenum et Synesium, Paulinum Nolanum et auctorem hymni *«Salvete, flores martyrum»* hispanum nempe Prudentium, qui Horatio meruit comparari. Cæterum, Paganismo jam fatigente, nihil, quod non impleat, Christianismus relinquet, nec in scientiis, nec in artibus, neque in ipso humano consortio.

Illa tamen societas suæ corruptionis semina secum portans, brevi erat peritura. Quum autem Dei flagellum ignis et ferri probationi mundum subjiciens, ubique nonnisi rudera et strages post se relinquens, artes et scientiæ in speciem obscuratæ, ad monasteria confu-

gientes, à communi decessu liberæ evaserunt. Tum incipiunt collectionum studia, atque conamina scientiæ corpus efformandi ætatis, quæ præteribat, reliquiis. S. Isidorus Hispalensis «cum reverentia nominandus,» qui omnem sui temporis sapientiam possidebat, præclara hujus generis edidit opera. Atque ita litteris christianis, barbarorum gentibus suavi crucis jugo subjectis, nova et splendens parabatur æra, quæ cunctas suas explicavit dotes divi Thomæ sæculo, quo in lumen editæ fuerunt quædam scripta, tamquam imperitura monumenta, ut semper jure redarguantur, qui illam ætatem ignorantiae incusat. Cogitant istulti! Christianismum progressui impedimentum fuisse. Quod tamen nemini mirandum filios diaboli Dei opus uti perniciosum habere.

Hi diversi litteraturæ christianæ progressus, conflictus, atque tempestates, quas interim passa est, quin omnino decederet, argumento nobis sunt, ut tutò credamus eam, licet vicissitudinibus obnoxiam, nunquam tamen perituram, cum Ecclesia, à qua inspiratur et gignitur, semper exstitura sit.

Patres ergo, qui illius germina continent, vos revolvite. Cooptari non intendo inter eos, qui plus animi candore, quam firmo et aceri judicio classicos paganos oblitterandos censem. Patres ita non fecere; sed potius eorum aliqui, ut illis rectè utamur, salutaria dedere monita (15). Assero tamen nos nullo negotio Ægypti auxiliis indigere. Scriptoribus recentioris ætatis ingratum me præbere nolo; attamen opinor ferè nihil novi in eis adesse, quod Patres uno alterove sensu scriptum non reliquerint. Ipsos igitur adite, qui politioris humanitatis sensum degustare vultis, qui pulchri et boni fontibus bibere concupisciis.

VI.


Restat nunc, ut de SS. Patrum vitis aliquid dicamus. Quas plurimi habendas esse, vel ex eo infertur,

quòd ad rectè intelligenda eorum opera, nulla sit aptior clavis. Ad hoc enim, tempus, quo quisque vixerit, quas soverit amicitias, quæ exercuerit munia, quos habuerit magistros, litesque, quibus implicatus fuerit, valde interest scire: item cujusque propensiones et sensa propria, (attenta suæ gentis indole,) atque rerum adjuneta, quibus sua edidere scripta. Horum omnium notitia multum Critice juvabit, ut integra ab interpolatis, genuina à dubiis, apocryphis, spuriisve operibus secernantur.

Magna ergo sub hoc respectu ex vita PP. utilitas; major autem, quæ sub alio obtineri potest.

Nulla quippe sunt vitæ christianæ adjuncta, in quibus SS. Patrum historia exempla imitanda non præbeat. Illi viam pandunt, *in qua salutare nostrum inveniamus Jesum Christum.* ¡Oh quám præclara virtutum documenta, sive in vitæ privatae sinu, sive in publicis dedere actionibus! Quot luculenta exempla mansuetudinis, prudentiæ, humilitatis et fortitudinis! Quot boni Pastoris imagines, qui sibi jam non vivit, sed pro ovi bus vitam dare semper est paratus. Ignatius, postquam suam strenuè confessus est fidem, ad bestias damnatus, dum ad supplicium adducitur, romanos hortatur, ne martyrium ejus impediant. Justinus eamdem subit sortem, postquam vera libertate sæculi potestatibus est alloquutus, ut vexatam defenderet innocentiam. Athanasius propter ejus constantiam de exilio in exilium vitam agere coactus, antequam ex ea migraret, arianismum vidit jam jam moritum. Joannes Chrysostomus, qui curis pastoralibus occupatus, aliquando etiam *edere ad vesperam* usque obliviscebat, et ipse in exilium pulsus, afflictos amicos de eo sollicitos scriptis solatur, in quibus mira sui animi magnitudo optimè exprimitur. Ambrosius imperium è tyrannorum sævitii non semel liberat, et Symmacho, Victoriae aram restitui petenti, silentium imponit, suæ allegationis momenta refutans. Leo Magnus à barbaris, urbem depredantibus, obtinet, ut à caede et incendio abstineant. Basilius, Augustinus, Gregorius Magnus..... Sed quid his insistere, quasi de re dubia ageremus? ¡Quis hoc non agnoscat? ¡Ecquis sciens et prudens illius pulcherrimæ

ætatis auram haurire desinet? Scientiarum historia sapientes gignit; imperatorum historia animos in præliis auget; SS. Patrum historia eorum sapientiam atque virtutes nobis ostendet (16).



Satis jam mihi dixisse videor, quare hoc studium utile sit. Ne verò difficultatibus deterreamini, quibus est obnoxium, propter multa necessaria ad illud aggrediendum subsidia, quæ comparari haud facilè possunt, vel ob vitæ celerem cursum, vel ob præclaras, quæ requiruntur, animi dotes; illud vos, quamquam ad exitum festinet oratio, latere nolo: filum quoque in hoc labyrintho adesse, quo arrepto, iter tutò faciatis.

Nam virorum litteratorum indefesso labore campus hic Theologiae ita est adornatus, ut quæ aliquando animum paulisper terruerunt, difficultates ferè omnes recessisse videantur. Exstant enim R. Ceillier, Gottfridi Lumper, I. Ad. Moehler, aliorumque à S. Hieronymo ad nos usque præclara opera, qui omnes summa cura hanc spartam illustrarunt. Exstant et collectiones, editionesque præstantissimæ, quas inter Monachorum Sti. Mauri primum locum facilè occupant: exstant denique verè propriae dictæ in hoc studium introductiones, ex quibus cl. Jos. Fessler Patrologia commendari in primis meretur. His igitur stipati auxiliis, nihil est cur diffidatis (17).

Quæ cùm ita sint; cùm Ecclesia hoc studium commendare nunquam non intermisserit; cùm omnes disciplinæ theologicæ ex eo vitam hauriant, argumentisque roborentur; cùm scientiæ philosophicæ multum in eo soliditatis ac veritatis acquirant, fideque apprimè conscientur; cùm nec pulchritudinis judicium, nec accurata dicendi forma in Patribus desiderentur; cùm eorum vitæ gesta exempla sint christianæ vitæ et pastoralis sol-

licitudinis, quibus ad sui munus rite obeundum quisque vehementer excitetur; cum denique «christianæ modestiæ et gravitatis proprium sit non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare» (18), dicente Scriptura et monente: interroga patres tuos, et dicent tibi, seniores tuos, et annuntiabunt tibi» (19): *quid dubii, studium, quod tot laudatur titulis, et præstantissimum in se esse, et utilissimum cunctis sapientiæ studiosis, ac præsertim Theologiæ candidatis?*

Idecirco, juvenes, vos exemplaria Patrum.....

Nocturna versate manu, versate diurna.

Hoc Deus vult; Ecclesia præcipit; hoc et necessitas, atque vestra ipsa utilitas expostulant.

Ea namque ætate sumus, in qua magna undique imminent pericula. Iniquitatis mysterium in dies auge scit. Multi jam sunt, qui sanam doctrinam non sustinent; multi, qui à veritate auditum avertentes, ad fabulas *spiritismi* et *naturalismi* convertuntur; nec desunt magistri, qui in mendacium spem ponant, *semper in pejus proficientes*. Tanta nunc hodie homines dementia cepit! In eo ergo fidei cum impietate luctamine, unde melius sperandum auxilium, quam ab eis, qui in his præliis anteactis ætatibus strenuè præliarunt? Illuc querendus novus vigor, illuc egregia fortitudo, quæ mundum olim fidei, humanitati, atque scientiæ lucravit; illuc spiritus, qui à periculis et insidiis nos avertat.

Quoniam verò, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, ad Eum confugiamus, qui dat incrementum: Deiparam item Virginem, ipsosque SS. Patres animo demisso invocantes, ut eorum precibus, nostris vigiliis atque laboribus Illius juvamen accedat, *qui operatur in nobis, et velle, et perficere pro bona voluntate.* (20)

NOTÆ.

- (1) August. contra Julian. I, 31.
- (2) Fessler, Institutiones Patrolog. Præfat. ad Lectorem.
- (3) Theodoreti Eranistes, dialog. III.
- (4) Moehler, La Patrologie, I, pag. 6.
- (5) Eusebii, Hist. Eccl. V, 13.
- (6) Fessler, op. cit. I, 708.
- (7) Moehler, op. cit. I, 3.
- (8) Natalis Argonensis, op. infra cit. par. III, p. 173.
- (9) Cit. à Fessler, I, 133.
- (10) Fessler, I, 131.
- (11) In Proslogio. cap. I.
- (12) Paradiso, XXIX, 27.

Voi non andate già per un sentiero
Filosofando: tanto vi trasporta
L'amor dell'apparenza e 'l suo pensiero.

- (13) De Incarnatione Verbi, cap. II.
- (14) August. de Prædestinatione Sanctorum, u. 26.
- (15) S. Basil. Sermo de legendis libris gentilium t. II, ed. maur.
- (16) Audisio. Introduc. aux études ecclésiastiq. t. II, 171.
- (17) Dum hæc typis mandantur, ad manum habeo opus à D. Michaele Yus exaratum, cui titulus «Patrologia, ó sea Introducción histórica y crítica al estudio de los santos Padres»; quod opus, et propter compendiesam doctrinæ hodiernæ lucubrationibus auctam, et optimam methodum ad tyronum usum accomodatam, promptuarium utilissimum exhibet. Non possumus quin hunc auctorem laudibus efferamus, quod in Hispania has disciplinas instaurare pro viribus conetur.
- (18) S. Vincentii Lir. Communis. c. VI.
- (19) Ibid. c. I.
- (20) Fuerunt qui mihi hanc orationem ita disponere suaserunt, ut veluti pro generali regula ad seligenda SS. Patrum opera haberi posset; sed quominus illorum votis, mibi quidem acceptissimis, satisfacerem, ipsius orationis indeoles in primis obstitit: quam (quia is, dum illi operam dabam, scopus mihi non fuit) totam inverttere, et ultra modum amplificare oportebat. Ad hoc autem nec vires suppetunt, nec otium. Qui plura de hoc arguento cupiat, consultat quoad res theologicas Natalem Argonensem (De optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo, pars III) atque Fessler (Institutiones Patrologiæ, Patrologia generalis, t. I); ie tsneuter, J. Alzog judicio, rei cardinem attigerint.